



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

Delvaux, André

Coloniæ Agrippinæ, 1686

2. De Clerico minoribus Ordinibus initiato, contrahente matrim.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

egerit, potest ex indulgentia Episcopi officio suo, Ordinisque exercitio restitui, *c. Sanè 4. hoc tit.*

Item redduntur suspecti de hæresi; & potest contra eos per Inquisitores procedi.

Incurrunt etiam pœnam stupri, si virginem sub figura ac prætextu matrimonii violarint, quamvis verba de præsentem ac benedictiones præcesserint, *Dias in Praxicrim. Canon. c. 74.*

7. Cæterum merito hæc ita à sacris Canonibus constituta sunt: nam si in veteri lege, qui ad altare altari, ad offerendum panes materiales, & sacrificia animalium mortuorum jubebantur esse mundi, *Exodi 9.* & continentibus abstinentesque ab uxoribus, pro tempore, quo ministraturi erant, *can. Tenere h. nam si prisca dist. 31.* si item Flamines gentiles seu sacerdotes Ethnici in superstitionis suis cultibus ac ritibus, ipsi satanae seruiantes, tanto opere ac studio castitatem seruarijnt: quàm castos & puros esse decet sacerdotes Dei, ac reliquos Clericos sacris initiatos, qui velut templum ac vasa sunt Domini & sacrarium Spiritus sancti, jugiterque altari adstant, *can. Decernimus Dist. 28. & similibus*: præsertim cum non accedant ad offerendas carnes vitulorum aut hircorum, ut in veteri lege, sed ad immolandum agnum immaculatum, ipsum Salvatorem JESUM Christum, verum Deum & hominem. Facit, quod Clericus divisus in duo plenam sui non habeat potestatem, ideoque minus cogitare valeat, quæ Dei sunt, sed potius, quo modo placeat uxori. Præterea rerum Ecclesiasticarum substantia per conjugatos facile deperit, quas subtraherent forte prospiciendis & alendis proliis suis, *c. Diversis 5. h. t.*

8. Dixi antè, saltem in Ecclesia Latina: quia licet in Ecclesia Orientali seu Græca nunquam licuerit post sacros Ordines susceptos uxorem ducere, ut patet ex *can. Si quis eorum dist. 32. c. A multis sup. De arate & qualitate ordinis*, tamen concessum tandem fuit, ut saltem antea ductis uterentur, uti constat ex *c. Cum olim h. t. can. Aliper dist. 31.*

Ubi tamen observandum olim, ante tempora D. Gregorii Subdiaconatum non fuisse Ordinem sacrum, ut supra diximus, ac proinde licuisse tunc Subdiaconi uxores ducere, & ductis uri.

¶

§. II

De Clerico minoribus ordinibus initiato, contrahente matrimonio.

1. Talis ducta uxore amittit beneficium ipso facto.
2. Nec resignare illud potest in favorem tertii.
3. 4. Licet etiam matrimonium sit nullum, vel irritum.
5. Impubes, vel pubes cum pubere vel impubere contrahens non excedit beneficium.
6. Aliàs ne quidem consensu Episcopi, beneficium simplex retinere potest.
7. 8. Conjugatus quibus casibus beneficium retinere possit.

1. Quid si Clericus, in minoribus Ordinibus constitutus, continere se non possit, aut non velit, permittendus est uxorem sortiri, *can. Si qui vero Dist. 32. can. Quia tua §. si quis xii. quest. 1.* Verum si contraxerit valide, beneficium, si quod habuerit, statim ducta uxore vacat, *c. 1. h. t.* sicut & pensio, si quam habeat titulo clericali, seu loco beneficii, quod resignavit quæ per matrimonium, licet copula non sequatur, vinculo incompatibili cum beneficio sese quæ astringit; sicque eo ipso per spontaneam dimissionem videtur beneficium repudiare, nec illud recuperat sponsa decedente, vel monasterium ingrediente, *DD. in d. c. 1.* quia quod semel extinctum est, non reviviscit amplius, licet causa extinguens cesserit, *can. Quam periculosum v. 31. q. 1. Clement. Gratia De rescriptis.* Ob eadem rationem accessus, regressus, ac quodlibet aliud jus ad beneficium Ecclesiasticum vacant ipso jure, *d. Clement. Gratia*: quia facilius perditur jus ad id, quàm in re, *c. Quemadmodum sup. De juramento*.

2. Hinc sequitur Clericum, post contractum valide matrimonium, non posse beneficium quod antè obtinebat, resignare in alicujus favorem, sed teneri statim possessionem ejus dimittere, illudque posse, tamquam vacans ipso jure & facto, impetrari.

3. Quod si matrimonium sit nullum, gravissima est quæstio, an vacet similiter beneficium, de qua varii variè sentiunt; ut videre est apud Sanchez De matrim. lib. 7. Disp. 43. ubi relictis tribus sententiis, adhæret triæ, nempe per

matri.

matrimonium, quomodocumque & quacumque ex causa nullum, non amitti ipso jure debet: sed sententia Judicis opus esse: ea inter alias ratione, quod non præstet impedimentum, quod de jure non sortitur effectum; quodque patia sint esse nullum ipso facto, & non factum: nec in ullo textu inveniatur decretum, solum attentionem cum ipso facto irritum sufficere in hoc casu.

4. Hinc etiam verius est, Clericum initiatum sacris Ordinibus, contrahentem matrimonium, sed irritum, propter consanguinitatem, vel aliud impedimentum dirimens, non amittere beneficium suum ipso jure, ut tradit Sanchez *d. l. ca.*

5. Quid si Clericus impubes cum sponsa impubere aut pubere, vel pubes cum impubere per verba ad præsentem contraxerit, nec malitia suspicatur ætatem? (cujusmodi matrimonium resolvitur in sponsalia de futuro, *c. unico De dispensat. impuberum in 6.*) Talis non excidit beneficium suo, nisi adveniente legitimâ ætate matrimonium sic contractum ratiificetur, iis modis, de quibus per text. *Glos. & DD in d. c. unico*; si quidem constat apud omnes, non amitti beneficia per sponsalia de futuro, quando quidem statum incompatibilem cum beneficio non inducant, sed sint duntaxat via ad illum.

6. An autem de consensu Episcopi Clericus beneficium simplex, ante contractum matrimonium obientum, retinere possit, matrimonio contracto cum virgine, quæri etiam potest? Communi opinione receptum est, non posse, quia conjugati beneficiorum sunt incapaces. Non obstat *canon. Si quis Distinct. 32. c. canon. Quia tua xi. q. 1.* quia non loquuntur de beneficiis Ecclesiasticis, sed de stipendiis sustentationis, quæ dantur Clericis conjugatis, clericaliter viventibus, & Ecclesiæ deservientibus; idque de gratia magis, quam de jure, & tanquam elemosyna, non tanquam præbenda.

7. Ceterum iis casibus, quibus conjugatus potest suscipere Ordines, *secundum dist. à non lib. 1.* potest etiam obtinere beneficium. Etiam intelligendus est *canon. De Siracusana Distinct. 28.* ubi habens uxorem eligitur in Episcopum.

8. Potest etiam conjugatus obtinere bene-

ficiam ex dispensatione, non quidem Episcopi, sed summi Pontificis, *c. Diversis 5. h. 1.* ubi jubetur, ut Episcopus conjugatos beneficiis, post conjugium adeptis, privet; & statim subditur, *Nisi forte tu talibus scienter contuleris Ecclesiastica beneficia, quibus eos non pot. sed per superiorum decernimus spoliandos*: nam inde colligitur, non sufficere dispensationem Episcopi; quæ si sufficeret, non essent spoliandi beneficiis, ab Episcopo sibi collatis.

Non obstat, quod Episcopus dispense cum homicida & irregulari, *c. Ad audientiam 12. inf. De homicidio*; & cum deposito, *can. Sodemita Dist. 63.* qui sunt casus graviore: quia in materia dispensationis, quæ est exorbitans à jure, non valet argumentum à casibus permissis ad non permissos, etiam minores. Vide Sanchez *De matrim. lib. 7. Disputat. 42. num. 1. & seq.*

§. III.

An Clericus conjugatus immunitate Ecclesiasticâ perinde gaudeat ac non conjugatus.

1. Clericus conjugatus qualiter privilegio fori gaudeat.
2. In Clerico conjugato quæ censetur habitus clericalis.
3. Quid in eodem requirat Conc. Trident.
4. Quo ad cetera privilegia reputatur laicus.
5. Separatus ab uxore & ordinatus gaudet privilegii clericalibus.
6. Contra Clericum ordinatum per dispensationem uxorem ducens.

1. Ita videtur de jure antiquo: at verò jure novo, *in c. unico h. 1. in 6.* statuitur, ut præter privilegium canonis *Si quis suadente xv. q. 4.* (quo manus violentas in Clericum injiciens excommunicationem incurrit, non nisi à summo Pontif. absolvendus) gaudeat duntaxat privilegio fori: & quidem, ut docet Sanchez *d. lib. 7. Disp. 46. n. 2.* quoad causas, non civiles, sed criminales, si ve ex criminaliter si ve civiliter continentur, prout Clericis conceditur *c. 2. sup. De foro compet.* Idque non aliter, quam si cum unica & virgine contraxerit, & tempore commissi delicti (quod ad hoc, ut quis gaudeat